

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

# **BOLLETTINO**

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 170506c

Saturday 06.05.2017

## **Letter of the Holy Father to the special envoy at the coronation of the image of “Our Lady Health of the Sick”, Cathedral-Shrine of the Diocese of Świdnica, Poland, 13 May 2017, centenary of the apparitions of Our Lady of Fátima**

On 11 March 2017, *L'Osservatore Romano* published the appointment of His Eminence Cardinal Zenon Grocholewski, prefect emeritus of the Congregation for Catholic Education, as the Holy Father's special envoy at the ceremony for the coronation of the image of “Our Lady Health of the Sick”, at the Cathedral-Shrine of the diocese, scheduled to take place on 13 May 2017, the centenary of the apparitions of Our Lady of Fátima.

The special envoy will be accompanied by the Papal Mission, composed of:

Rev. Msgr. Stanisław Zdzisław Chomiak, chancellor of the diocesan Curia of Świdnica;

Rev. Msgr. Jan Baginski, former pastor of the parish of Sts. Stanislaw, bishop and martyr, and Wacław, martyr, in Świdnica.

The following is the Holy Father's letter to the special envoy:

### **Letter of the Holy Father**

Venerabili Fratri Nostro

**ZENONI S.R.E. Cardinali GROCHOLEWSKI**

Congregationis de Institutione Catholica Praefecto Emerito

Veniens centum ante annos die XIII mensis Maii in Fatimensi loco Mater Salvatoris, parvos per pueros homines omnes, potissimum vero christianos, ad sinceram conversionem, paenitentiam agendam, assiduam orationem suoque Immaculato Cordi consecrationem sollicite monuit, sic viam indicans ad pacem restituendam animasque plurium peccatorum ab aeterna damnatione salvandas. Quo die Nos, vestigia sequentes Praedecessorum

Nostrorum, illic una cum piorum peregrinorum turba, Reginam Pacis venerabimur et precabimur.

Novimus autem ex litteris Venerabilis Fratris Ignatii Dec, Episcopi Suidniciensis, eius in Cathedrali Ecclesia eodem die claram imaginem Beatae Virginis Mariae coronatam iri, nempe diadematibus quae tempore visitationis in Polonia Ipsimet die XXVIII mensis Iunii superiore anno Czenstochoviae benediximus. Egregius hic Praesul petivit humanissime ad sollemniorem efficiendum memoratum coronationis ritum magisque honorandam Dei Genetricem ut Nos Patrem Purpuratum seligeremus, qui apud celebre hoc Suidniciense sanctuarium personam Nostram gerat. Te quidem, Venerabilis Frater Noster, dilectae Poloniae Nationis eminentem Filium, qui Nostris Decessoribus et Nobis tot per annos aderas operam praestando in cura cotidiana universae Ecclesiae, ad hanc honorificam sane missionem destinamus. Quapropter hisce Litteris **Nostrum Missum Extraordinarium** te nominamus ad supra dicti ritus incoronationis officium sollemni modo die XIII proximi mensis Maii Suidniciae peragendum.

Liturgicis celebrationibus praesidebis Nostramque benignam istic adstantibus significabis salutationem, praesertim eiusdem communitatis Pastori. Populum deinde congregatum prudenter hortaberis ut Beatissimam Virginem Mariam, ibidem sub titulo Salutis Infirmorum invocatam, pientissime colant, cotidie rosarium precantes, et se suasque familias et communitates maternae custodiae offerant ipsius "Quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol" (Ct 6,10). Singulari hoc die licet breviter recordari plurimos per saecula credentes, variis morbis vel moeroribus afflicto, qui eius potentem intercessionem haud inaniter invocabant, inter quos numeratur etiam certus sodalis Societatis Iesu Franciscus Paravicinus, saeculo XVII inopinate sanatus, qui inde cultum Matris Dei in hac memorata Suidniciensi imagine sustinuit.

Ceterum hic eventus magni videtur momenti, quoniam iuvenis dioecesis, tertio inito christianae aetatis millennio constituta, per aestimabile hoc sanctuarium conferre valde potest ad semper catholicae Silesiae fidem roborandam. Utinam ergo populus illuc conveniens multa inveniat omne genus auxilia, sed plurimas quoque afferat laetitia moerenti Deiparae eiusque divino Filio, qui "in sole posuit tabernaculum suum" (cfr Ps 19,5).

Nos profecto precibus comitabimur tuam missionem, dum iam nunc fidentes te, Venerabilis Frater Noster, committimus amantissimae tutelae Sanctae Dei Genetricis et Poloniae Reginae. Apostolicam denique Nostram Benedictionem prolixè tibi imprimis elargimur, cum omnibus ad quos nunc mitteris communicandam, vicissim pro gravi Nostro Petrino ministerio exercendo preces postulantes.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXI mensis Martii, anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

FRANCISCUS

---